

Thascius Caecilius Cyprianus Heiliger


**D. CYPRIANI || EXHORTATIO || AD MORTEM LIBEN=||TI, PIO ET FORTI ANIMO ||  
oppetendam, tempore pestis in Africa || grassantis, Anno Christi 254.|| ad  
populum habita: et nunc || iterum edita.|| Cum PRAEFATIONE || DAVIDIS  
CHYTRAEI.||**

Rostock: Lucius, Jakob d.Ä., 1565

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn168871135X>

Druck Freier  Zugang





F. l. - 3261.

..L. 3.11.

1000 27

D. CYPRIANI

# EXHORTATIO

AD MORTEM LIBEN-  
TI, PIO ET FORTI ANIMO  
oppetendam, tempore pestis in Africa  
grassantis, Anno Christi 254.  
*ad populum habita: & nunc  
iterum edita.*

Cum PRÆFATIONE

DAVIDIS CHYTRÆI.




ROSTOCHII

*In Officina Iacobi Transylvani.*  
*Anno*

---

M. D. LXV.

*F. e. - 3261.*



1801

DAVID CHYTRÆVS

PIO LECTORI SALV-  
TEM ET VITAM IN CHRIS-  
TO Domino sempiternam.



Am Dei aduersus mea,  
tua, & vniuersi generis hu-  
mani peccata, non inane ter-  
riculamentum aut μορμολύ-  
κηδον, sed verè IGNEM. CONSV-  
MENTEM esse: vindicibus flam-  
mis sibi qui contraria delet, Ipseq; iusti-  
tiæ regula sola manet: clarissimè osten-  
dunt, tum cæteræ nos & totam vicini-  
am obruentes, bellorum, & multiplici-  
um malorum, quæ bella, præsertim ins-  
testina, comitari solent, pœnæ tristis-  
simæ: tum verò inprimis Pestilentia  
& lues seuissima, quæ igne mortife-  
ro imis præcordijs concepto, statimq;  
per totam corporis machinam exæstu-  
ante, spiritus vitales enecat, & breui

A 2

tempore



tempore, multa hominum millia, incendio suo absumpta, trucidat.

Omnes quidem totius generis humani calamitates & miseriae, quarum commemoratione & exemplis tota mundi historia stipata est, illustris conicio sunt de ira Dei & summa FRAGILITATE & FUGACITATE vitae & omnium rerum humanarum. & omnes homines singulis totius vitae suae momentis morti obnoxij, & verè nihil aliud sunt, quàm  $\chi\rho\upsilon\varsigma$ ,  $\sigma\kappa\iota\alpha$ ,  $\phi\acute{\alpha}\sigma\mu\alpha$ ,  $\delta\rho\acute{o}\sigma\omicron\varsigma$ ,  $\pi\nu\omicron\iota\eta$ ,  $\pi\lambda\epsilon\rho\acute{o}\nu$ ,  $\acute{\alpha}\tau\mu\iota\varsigma$ ,  $\acute{\omicron}\nu\epsilon\iota\rho\omicron\varsigma$ ,  $\omicron\iota\delta\mu\alpha$ ,  $\rho\acute{o}\omicron\varsigma$ ,  $\nu\omicron\varsigma$   $\iota$   $\chi\rho\nu\omicron\nu$ ,  $\acute{\alpha}\psi\epsilon\alpha$ ,  $\kappa\acute{o}\nu\iota\varsigma$ .

Sed tamen illustrius & clarius cōspicitur & magis afficit & percellit animos & pectora hominum, praesens haec tristissima mortis imago: cum tota die funera longo ordine ad sepulturam duci, & notos ac amicos nostros  
hodie

hodie valentes & incolumes postridie  
incendio pestili ardere, & intra tridu-  
um ferè interfici cernimus: & omnes  
in tota Vrbe domos vel cadaueribus  
aut egrotis plenas esse, vel certe luctu  
& eiulationibus resonare audimus.

Cum autem Homines Pij etiam &  
sancti: quorum corpora peccati reli-  
quijs infecta, Morte destrui & ab om-  
ni labe purgari, ordo sapientie & iu-  
stitie diuine flagitat: yisdem morti-  
feris Pestilentie telis, passim in tene-  
bris & meridie circumuolitantibus,  
feriantur: necesse est uera, efficaci &  
firma consolatione animos piorum con-  
firmari, & aduersus prædantis pestis  
aculeos, clypeo Verbi diuini præmu-  
niri. Nam, quæ Philosophi opponunt  
morti remedia seu Θεραπειαι: rebus trā-  
quillis & secundis fortasse demulcent  
utrunq; animos, sed vix cicatricibus  
A 3 morborum

morborum aut mortis, nedum vulne-  
ribus medentur.

Disputant enim, qui fortissimi  
& maxime inuicto aduersus mortem  
animo haberi volunt: nihil esse in mor-  
te terribile, nisi ipsum timorem. Ac  
quod pueris accidit, vt notos sibi &  
caros, si personatos vident, expanse-  
cant, detracta verò persona, cupidis-  
sime ad se inuicent & suauiter cum ijs  
colludant: idem nobis quoq; maiusculis  
pueris, Mortem larua terribili circun-  
datam intuentibus, euenire: cum ea de-  
tracta, Mors vel plane negligenda,  
vel etiam appetenda videatur.

Vt enim lucernæ, cum extincta est,  
nihilò peius est, quàm antequam accen-  
deretur: ita Hominem mortuum aiunt,  
sicut antè quàm nasceretur, nihil esse,  
nec vllum dolorem aut vexationem  
sentire.

Non

Non igitur mortem miseram aut  
malam, sed finem miseriarum & ma-  
lorum esse, & portum, in quo ex turbu-  
lentissimis huius vitæ, quæ reuera non  
est vita sed calamitas, iactationibus  
& fluctibus eluctati homines tranquil-  
le quiescunt. Cumq; perpetuo ac im-  
mutabili naturæ ordine certi gradus et  
successiones sint pueritiæ, adolescentiæ,  
mediæ ætatis, senectæ, mortis: non  
minus stultum esse, qui mortem timet,  
quàm qui senectutem. Ut enim quoti-  
die diem Nox sequitur: & in Anno  
uernam suauitatem æstas: hanc au-  
tumnus: inde hyems: sic in hominis vi-  
ta adolescentiæ senectam, senectæ mor-  
tẽ, qua eadem, quæ coagmentauit  
natura Hominem dissoluit, succedere:  
ita vt vita ei necessario recusanda fue-  
rit, qui mori nolit. Nulli enim, nisi  
cum exceptione mortis, & quidem nul-

la certa die præstituta, vitam da-  
ri.

Cum itaq; æqua & inuicta mori-  
endi necessitas omnibus sine vlla ex-  
ceptione incumbat: stultum esse aiunt  
timere, quod vitare non possis, & ir-  
rito ac nihil profuturo metu mortis,  
totius vitæ tranquillitatem turbare.

Nec vero quenquam iustè queri  
posse de ea conditione, quæ ipsi cum  
omnibus omnium ordinum & ætatum  
hominibus communis sit. Cumq; nec  
infantes; nec pueri, nec ratione &  
mente priuati, mortem timeant:  
turpissimum esse, si eam tranquillitas  
& securitatem nobis ratio non  
præstet, ad quam stultitia perducit.  
Deniq; vno velut fasce omnia Mortis,  
extinctionem & *πρωλεθρίων* homini  
adferentis, commoda, in consolatione  
ad Martiam, complectens Seneca ex-  
clamat

clamat. O ignaros malorum suorum,  
quibus non mors, vt optimum inuen-  
tum naturæ, laudatur: quæ siue feli-  
citatem includit: siue calamitatem  
repellit: siue facietatem aut lassitudi-  
nem senis terminat: siue iuuenile æuum,  
dum meliora sperantur, in flore dedu-  
cit: siue pueritiã ante duriores gradus  
reuocat: omnibus FINIS, multis re-  
medium: quibusdam votum: de nullis  
melius merita, quàm de his, ad quos  
venit, antequam inuocaretur.

Hæ cogitationes, etsi rebus letis  
& tranquillis, dum adhuc extra sen-  
sum miseriarum & mortis versamur,  
voluptate aliqua titillant animos secu-  
ros & ociosos: tamen in veris paroxys-  
mis & agone mortis, velut fumi eua-  
nescunt: nec vllam veram & solidam  
leuationem doloris & lætitiã cordis  
bus adferunt: ne illi quidem argumen-

ta, quibus Animos post mortem super-  
stites manere aliqui coniectant, ac me-  
ritò exagitur à Lactantio, Ciceron-  
nis dilemma, quod ille velut immotam  
demonstrationem sæpe repetit; cum di-  
sputat: Se, post mortem, aut non mise-  
rum, si omnino mors extinguat ani-  
mum: aut beatum etiam fore, si mors  
aliquò deducat animum, ubi futurus  
sit æternus. Non enim efficitur, Ani-  
mos, si superstites sunt, statim in eas  
oras, quas, qui beati sunt, incolunt, mi-  
grare. Sed ratio etiam humana intel-  
ligit, aliam & quidem proniorem &  
latiorem posse viam existere præcipi-  
tantem in eas oras, ubi cruciatus &  
supplicia vicys & peccatis suis debita  
perpetiantur.

Cum igitur totam de Voluntate  
Dei erga nos paterna, & remissione  
peccatorum propter Christum redem-  
ptorem

ptorem promissa, & de presentia & auxilio Dei in ærumnis, & de exitu dolorum & liberatione læta, & vita cum Deo beata & æterna, doctrinam ignoret Philosophia: ad fontes Israelis, & viuos gurgites consolationum ostēfos in certissimo DEI VERBO resurrectione Filij Dei Domini nostri Iesu Christi pro nobis mortui, alijsq; miraculis confirmato, nobis confugiendum est.

Hos Christianæ consolationis fontes, magno & ardenti spiritu & vigore penetrante in animos & pectora legentium, & aculeos ingentis fiduciæ ac lætitiæ, & desiderium discessus & migrationis ex hac vita ad beatam & æternam cum CHRISTO consuetudinem, in mentibus accendente: complexus est.

D. Cy



**D** Cyprianus in Sermone de Moralitate, quam tempore luis pestilentis in Africa crudelissimè grassantis, ad populum habuit. Iam, inquit, terrenis cœlestia, & magna paruis, & caducis æterna succedunt. Quis hic anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Eius est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: Eius est ad Christum nolle ire, qui se non credit cum Christo incipere regnare. Scriptum est enim, Iustum fide viuere. Si iustus es, & fide viuus: si verè in Deum credis, cur non cum Christo futurus, & de Domini pollicitatione securus, quod ad Christum voceris, amplecteris? & quod Zabulo careas, gratularis? &c. Huius concionis Cypriani lectio, cum mihi hoc seuientis pestis tempore, in tot amico-  
rum

rum, & filia etiam mea primogenita  
obitu: imprimis gratam & efficacem  
doloris & moestitiae leuationem attulerit:  
Typographo nostro hortator fui,  
vt eam cum pluribus comunicaret. Nō  
enim dubito in hac cōmuni calamitate  
totum ferè litus Balticū & vniuersam  
Saxoniam peruagante: multis hanc  
Cypriani Orationem, tanto animo &  
spiritu scriptam, & plenos fiduciae ac  
laetitiae & desiderij Vitae aeternae, ani-  
mos efficientem, lectu vtilissimam &  
gratissimam fore.

Itaq; malo iam te Studiose lector  
ipsam πρὸς seu potius Spiritum diui-  
num labijs Cypriani loquentem, & ad  
mortem placido, pio & forti animo op-  
petendam, cohortantem: quàm me, in-  
fantili & languida balbutie, Consola-  
tiones Morti opponendas colligentem  
audire,

audire. Quarum tamen hæc summa  
& præcipua est : Credo remissionem  
peccatorum, Resurrectionem carnis,  
& VITAM ÆTERNAM  
mibi propter Christum pro me mortuum  
& resuscitatum certò donari.

FILIVS Dei Dominus nos-  
ter Iesus Christus victor peccati &  
mortis et author iustitiæ ac vitæ eter-  
næ: Fidem in nostris pectoribus  
Spiritu sancto suo confirmet  
& obsignet, Amen. Da-  
tum Postridie Idus  
Septembris,  
Anno

M. D. LXV.

D. Cæcily

D. CÆCILII CYPRIANI  
EPISCOPI CHARTAGI-  
niensis, & Martyris.

SERMO DE MORTA-  
litate.



*S*si apud plurimos ue-  
strum, fratres dilectissi-  
mi, mens solida est, &  
fides firma, & anima  
deuota, que ad presentis  
mortalitatis copiam non  
mouetur, sed tanquam petra fortis & stabilis  
turbidos impetus Mundi, ac violentos seculi  
fluctus frangit potius, ipsa nec frangitur, &  
tentationibus non vincitur, sed probatur:  
tamen quia animaduerto in plebe quosdam,  
vel imbecillitate animi, vel fidei paruitate,  
vel dulcedine secularis vite, uel sexus mol-  
litie, vel, quod maius est, veritatis errore  
minus stare fortiter, nec pectoris sui diuinum  
atq; inuictum robur exercere, dissimulanda  
res non fuit nec tacenda, quò minus quan-  
tum nostra mediocritas potest, vigore pleno



Ignavia  
mentis  
qualiter  
comprimi  
menda.

& sermone de dominica lectione concepto,  
delicate mentis ignavia comprimatur. & qui  
homo Dei & CHRISTI esse iam cepit,  
Deo & CHRISTO dignus habeatur.

Agnoscere enim se debet, fratres dilectissimi, qui Deo militat, qui positus in caelestibus castris diuina iam sperat, ut ad procellas & turbines Mundi trepidatio nulla sit in nobis, nulla contatio, quando haec ventura praedixerit Dominus, prouide vocis hortatu instruens & docens & preparans, atq; corroborans Ecclesiae suae populum ad omnem tolerantiam futurorum, bella & fames & terremotus & pestilentia per loca singula exurgere pronunciauit & docuit. Et ne inopinatus nos & nouus rerum infestantium metus quateret, magis ac magis in nouissimis temporibus aduersa crebrescere, ante praemonuit. Fiunt ecce, quae dicta sunt, & quando fiunt quae ante praedicta sunt, sequetur & quaecunq; promissa sunt, Domino ipso pollicente, & dicente: Cum autem uideritis haec omnia fieri, scitote quoniam in proximo est regnum Dei.

Regnum Dei, fratres dilectissimi, esse  
cepit

cepit in proximo, premium vite et gaudium  
salutis eterne, & perpetua letitia & posses-  
sio paradisi nuper amissa, Mundo transcun-  
te iam veniunt, iam terrenis caelestia, &  
magna paruis, et caducis aeterna succedunt.

Quis hic anxietatis & solitudinis locus  
est? quis inter haec trepidus & maestus est,  
nisi cui spes & fides deest? Eius est enim  
morrem timere, qui ad CHRISTVM no-  
lit ire: eius est ad CHRISTVM nolle ire,  
qui se non credit cum CHRISTO incipe-  
pere regnare. Scriptum est enim, Iustum fi-  
de vivere. Si iustus es, & fide vivis: si ve-  
rè in Deum credis, cur non cum CHRISTO  
futurus, & de Domini pollicitatione secu-  
rus, quod ad CHRISTVM voceris, am-  
plecteris, & quod Zabulo careas, gratula-  
ris.

Rcm. i.

Simeon deniq, ille iustus, qui verè iu-  
stus fuit, qui fide plena Dei precepta serva-  
vit, cum ei diuinitus responsum fuisset, quod  
non antè moreretur, quam CHRISTVM  
vidisset, & CHRISTVS infans in templum  
cum matre venisset, agnovit in spiritu na-  
tum esse iam CHRISTVM, de quo sibi  
B fuerat

Simeon.

Luce 2.

I  
n  
c  
c

fuerat ante predictum, quo viso, sciuit cito se esse moriturum. Letus itaq, de morte iam proxima, & de vicina accensione securus, accepit in manibus puerum, & benedicens Deum exclamauit, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, probans scilicet & contestans tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, & tranquillam quietem, quando de istis Mundi turbibus extracti, sedis & securitatis aeternae portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.

Ultima  
semper ex  
pectanda  
dies homi-  
ni est, dici-  
que beatus  
ante obitu  
nemo su-  
premaq;  
funera dea-  
bet.

Illam enim nostram pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.

Hostes  
hominis.

Ceterum quid aliud in Mundo, quam pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quam aduersus iacula eius & tela confustationibus assiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris secularibus assidua, & ingis, & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis & vndiq, Zabuli infestatione vallata

*lata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido: si libido compressa est, succedit ambitio: si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia inuitat, inuidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogis maledicere, quod lex diuina prohibet: compelleris iurare, quod non licet.*

*Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus orgetur, & delectat hic inter Sabuli gladios diu stare? cum magis concupiscendum sit & optandum, ad CHRISTVM subueniente velocius morte properare, ipso instruente nos, & dicente: Amen, Amen dico vobis, quoniam vos plorabit & plangetis, seculum autem gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia vestra in letitiam veniet. Quis non ad letitiam venire festinet? quis non tristitia carere optet?*

Ioan. 16.

*Quando autem in letitiam veniat nostra tristitia, Dominus denuò ipse declarat, dicens: Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

B 2

Cum



I  
1  
C  
C  
1  
Ibidem.

Cum ergo videre CHRISTVM gaudere sit, ne possit esse gaudium nostrum nisi cum viderimus CHRISTVM, quæ cecitas animi, quæue dementia est, amare presuras & pœnas, & lachrymas Mundi, & non festinare potius ad gaudium, quod nunquam possit auferri?

Hoc autem fit, fratres dilectissimi, quia fides deest, quia nemo credit futura esse, quæ promittit Deus, qui verax est, cuius sermo credentibus æternus & firmus est. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utiq; pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus, atq; in actibus suis scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc Mundo recedenti immortalitatem pollicetur, atq; æternitatem, & tu dubitas? hoc est Deum omnino non posse, hoc est, CHRISTVM credentium magistrum peccato incredulitatis offendere, hoc est in Ecclesia constitutum fidem in domo fidei non habere.

Quantum profit exire de seculo, CHRISTVS ipse salutis, atq; utilitatis nostræ magister

gister ostendit, qui cum discipulū eius con-  
 tristarentur, quòd se iam diceret recessurum,  
 locutus est ad eos, dicens: Si me dilexisse-  
 tis, gauderetis, quoniam ad patrem vado. Iohan. 14.  
 docens & ostendens, cum chari, quos diligi-  
 mus, de seculo exeunt, gaudendum potius,  
 quam dolendum. Cuius rei memor beatus  
 Apostolus Paulus, in epistola sua ponit &  
 dicit: Mihi vivere CHRISTVS est, & Philip. 1.  
 mori lucrum. Lucrum maximum compu-  
 tans iam seculi laqueis non teneri, iam nul-  
 lis peccatis & vitijs carnis obnoxium fieri:  
 exemptam pressuris argentibus, & vene-  
 natis diaboli faucibus liberatum, ad latiti-  
 am salutis aeternae CHRISTO vocante pro-  
 ficisci.

At enim mouet quosdam quod equali-  
 ter cum gentibus nostros morbi istius valetu-  
 do corripit, quasi ad hoc crediderit Chri-  
 stianus, vt & immunis à contactu malorū,  
 Mundo & seculo feliciter perfruatur, & non  
 omnia hic aduersa perpeffus ad futuram le-  
 titiam reseruetur. Mouet quosdam, quòd  
 sit no. is cum ceteris mortalitas ista commu-

Pestis com-  
 munis est  
 pijs & im-  
 pijs.

I  
n  
c  
c  
1

nis. Quid enim nobis in hoc Mundo non commune cum ceteris, quamdiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis manet caro ista communis? Quoadusq̄, istic in Mundo sumus, cum genere humano Carnis equalitate coniungimur, spiritu separamur. Itaq̄, Carne hic donec corruptiuum istud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & spiritus nos perducatur ad Deum patrem, quæcunq̄, sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Sic cum flatu sterili terra ieiuna est, neminem fames separat: sic cum incurfione hostili ciuitas aliqua possessa est, omnes simul captiuitas uastat. Et quando imbres nubila serena longa suspendunt, omnibus siccitas una est. Et cum nauem scopulosa saxa confringunt, nauigantibus naufragium sine exceptione commune est. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & omnium uoletudo membrorum cum ceteris communis est nobis, quamdiu portatur in seculo caro ista communis. Quinimo si qua conditione, si qua lege crediderit Christianus, noscat et teneat, sciat plus sibi, quam ceteris in seculo laborandum

randum, cui magis sit cum diaboli impug-  
natione luctandum. Docet & premonet Ecclē. 2.  
scriptura diuina dicens: Fili accedens ad  
seruitutem Dei, sta in iusticia, & in timo-  
re, & prepara animam tuam ad tentatio-  
nem. Et iterum: In dolore sustine & in  
timore, & in humilitate patientiam habe,  
quoniam igne probatur aurum similiter &  
argentum.

Sic Iob post rerum damna, post pignorum  
funera, vulneribus quoq; & vermibus gra- Iob. 1.  
uiter afflictus, non victus est, sed probatus:  
qui in ipsis conflictationibus suis et doloribus  
patientiam religiose mentis ostendens, ait:  
Nudus exiui de utero matris, nudus etiam  
ibo sub terram. Dominus dedit, & Domi- Iob. 1.  
nus abstulit: sicut Domino visum est, ita &  
factum: sit nomen Domini benedictum. Et  
cum eum uxor sua compellaret, ut vi dolo-  
ris impatiens aliquid aduersus Deum queru-  
la & inuidiosa voce loqueretur, respondit  
& dixit: Tanquam una ex insipienti-  
bus mulieribus locuta es. Si enim bona Iob. 2.  
suscepimus de manu DOMINI,  
quare mala non toleremus? In his omni-  
bus,

bus, quæ contigerunt Iob, labijs suis nihil peccauit in conspectu Domini. Itaq; illi testimonium perhibet Dominus, dicens: Animaduertisti puerum meum Iob? non est similis illi quisquam in terris, homo sine querela, verus Dei cultor.

Et Tobias post opera magnifica, post misericordie suæ multa & gloriosa preconia, cecitatem luminum passus timens & benedicens Deum in aduersis, per ipsam corporis sui cladem creuit ad laudem, quem & ipsum uxor sua deprauare tentauit, dicens:

Iob. 2. Vbi sunt iustitiæ tuæ? ecce, quæ pateris. At ille circa timorem Dei stabilis & firmus, & ad omnem tolerantiam passionis fide religionis armatus, tentationi uxoris inualida in dolore non cessit, sed magis Deum maiore patientia promeruit: quem postmodum Raphael collaudat & dicit: Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est: nam quando orabas tu & Sara uxor tua, ego obtuli memoriam orationis vestre in conspectu claritatis Dei. Et cum sepelires mortuos simpliciter, & quia non es cunctatus exurgere & derelinquere prandium tuum, & abiisti &

Tob. 12.

Et condidisti mortuum, & missus sum tentare te. Et iterum: Me misit Deus curare te, & Saram nurum tuam: ego enim sum Raphael unus ex septem angelis sanctis, qui assistimus & conuersamur ante claritatem Dei.

Hanc tolerantiam iusti semper habuerunt, hanc Apostoli disciplinam de Domini lege tenuerunt, non musitare in aduersis, sed quaecunq; in seculo accidunt, fortiter & patienter excipere. Cum Iudaorum populus hinc semper offenderit, quod aduersus Deum frequentius murmuraret, sicut testatur in Numeris Dominus Deus, dicens: Desinat murmuratio eorum à me, & non morientur. Murmurandum non est in aduersis, Num. 20. fratres dilectissimi, sed patienter & fortiter quicquid acciderit sustinendum, cum scriptum sit: Sacrificium Deo spiritus contritus, cor contritum & humiliatum Deus non despicit. Psal. 50. In Deuteronomio quoq; moneat Spiritus sanctus per Moysen & dicat: Dominus Deus tuus vexabit te, & famem inyciet tibi, & cognoscetur in corde tuo, si bene custodieris praecepta eius. siue Deut. 8.

B 5 non

non. Et iterum: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra.

Gen. 22.

Sic Abraham Deo placuit, qui ut Deo placeret, nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recusavit. Qui filium non potes lege & sorte mortalitatis amittere, quid faceres si filium inbereris occidere? ad omnia te facere paratum timor Dei & fides debet.

Exhortatio ad poenitentiam.

Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua membrorum & cruenta vexatio: sit de uxore, de liberis, de excedentibus charis funebris & tristis auulsio, non sint tibi offendiculo ista, sed praelia: nec debilitent aut frangant Christiani fidem: sed potius ostendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda sit omnis iniuria malorum presentium, fiducia futurorum bonorum. Nisi processerit pugna, non potest esse victoria: cum fuerit in pugna congressione victoria, tunc datur vincens tibus & corona: nam gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. De-  
licata

licata iactatio est, cum periculum non est:  
 conflictatio in aduersis, probatio est veritatis.  
 Arbor, quæ alta radice fundata est, ventis  
 incumbenribus non mouetur: & nauis, quæ  
 forti cõpage solidata est, pulsatur fluctibus,  
 nec foratur: & quando area fruges terit,  
 ventos grana fortia & robusta contemnunt:  
 inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic  
 & Apostolus Paulus, post naufragia, post fla-  
 gella, post carnis & corporis multa & grauias  
 tormenta, non vexari, sed emendari se di-  
 cit in aduersis, ut dum grauius affligitur,  
 verius comprobetur. Datus est mihi, inquit, 2. Cor. 12.  
 stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me  
 colaphizet, ut non extollar, propter quod  
 Dominum ter rogauit, ut discederet à me, et  
 dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam vir-  
 tus in infirmitate perficitur. Quando ergo in-  
 firmitas vel imbecillitas & vastitas aliqua  
 grassatur, tunc virtus nostra perficitur, tunc  
 fides si tentata persisterit, coronatur, sicut  
 scriptum est: Vasa figuli probat fornax, & Eccle. 27.  
 homines iustos tentatio tribulationis.

Hoc deniq; inter nos & ceteros inter-  
 est, qui Deum nesciunt, quod illi in aduersis  
 queruntur



queruntur & murmurant: nos aduersa non  
auocant à virtutis et fidei veritate, sed cor-  
roborant in dolore.

Pestis de-  
scriptio.

Hoc quod nunc corporis vires solutus in  
fluxum venter euiscerat, quod in faucium  
vulnera conceptus medullitus ignis exastu-  
at, quod assiduo vomitu intestina quatun-  
tur, quod oculi vi sanguinis inardescunt,  
quod quorundam pedes vel aliqua membro-  
rum partes contagio morbide putredinis am-  
putantur, quod per iacturas & damna cor-  
porum prorumpente languore vel debilitatur  
incessus, vel auditus obstruitur, vel cecatur  
aspectus, ad documentum proficit fidei.

Contra tot impetus vastitatis & mortis  
inconcussi animi virtutibus congregi, quan-  
ta pectoris magnitudo est? & quanta sub-  
limitas, inter ruinas humani generis stare  
erectum, nec cum eis, quibus spes in Domi-  
num nulla est, iacere prostratum? Gratula-  
ri magis oportet, & temporis munus ample-  
cti, quòd dum nostram fidem firmiter pro-  
mimus, & labore tolerato ad CHRISTVM  
per angustam CHRISTI viam perginus,  
premiunt

præmium vite & fidei ipso iudicante capi-  
amus.

Mori planè timeat, sed qui ex aqua & spiritu non renatus, gehēna ignibus mancipatur: mori timeat, qui non CHRISTI cruce & passione censetur: mori timeat, qui ad secundam mortem de hac morte transibit: mori timeat, quem de seculo recedentē æternis pœnis æterna flamma torquet: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus eius & gemitus interim differatur.

Mors quibus timenda.

Multi ex nostris in hac mortalitate moriuntur, hoc est, multi ex nostris de seculo liberantur. Mortalitas ista ut Iudeis & gentibus & CHRISTI hostibus pestis est, ita Dei servis salutaris excessus est.

Hoc quod sine ullo discrimine generis humani cum iniustis & iusti moriuntur, non est quod putetis bonis et malis interitum esse communem. Ad refrigerium iusti vocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti: datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna. Improvidi & ingrati sumus, fratres dilectissimi, ad diuina beneficia, nec quid no-  
bis

Vtilitates pestis.

bis conferatur agnoscimus, Excedunt ecce  
in pace tute tum gloria sua virgines veni-  
entis Antichristi minas & corruptelas &  
lupanaria non timentes, pueri periculum lu-  
brica etatis euadunt, ad continentie atq; in-  
nocentiae premium feliciter perueniunt: tor-  
menta iam non timet delicata matrona,  
metum persecutionis, & manus cruciatuſq;  
carnificis moriendi celeritate lucrata Fa-  
uore mortalitatis & temporis accenduntur  
tepidi, constringuntur remissi, excitantur  
ignau: desertores compelluntur, vt rede-  
ant: gentiles coguntur, vt credant: vetus  
fidelium populus ad quietem vocatur: ad a-  
cium recens & copiosus exercitus robore  
fortiore colligitur, pugnaturus sine metu  
mortis cum prelium venerit, qui ad militi-  
am tempore mortalitatis accedit. Quid de-  
inde illud, fratres dilectissimi, quale est,  
quam pertinens, quam necessarium, quod  
peſtis iſta & lues, que horribilis & feralis  
videtur, explorat iuſtitias ſingulorum, &  
inſantes humani generis examinat, an inſir-  
mis ſeruiant ſani? an propinqui cognatos  
pie diligant? an miſereantur ſeruorum lan-  
guentium

gentium domini? an deprecantes egros  
non deserant medici? an feroces violentiam  
suam comprimant? an rapaces auaritie  
furentis insatiabilem semper ardorem  
vel metu mortis extinguant? an cervicem  
flectant superbi? an audaciam leniant im-  
probi? an pereuntibus charis vel sic aliquid  
diuites largiantur & donent sine herede mo-  
rituri? Ut nihil aliud mortalitas ista contule-  
rit, hoc Christianis & Dei seruis plurimum  
prestitit, quod martyrimum cœpius liben-  
ter appetere, dum mortem discimus non ti-  
mere. Exercitia sunt nobis ista non fu-  
nera, dant animo fortitudinis gloriam, con-  
temptu mortis preparant ad coronam.

Sed fortasse aliquis opponat & dicat:  
Hoc me ergo in presenti mortalitate con-  
tristat, quod qui paratus ad confessionem  
fueram, & ad tolerantiam passionis toto  
me corde & plena virtute deuoueram, mar-  
tyrio meo priuor, dum morte prœuenior.  
Primo in loco non est in tua potestate, sed in  
Dei dignatione martyriū: nec potes te dicere  
perdidisse,

Obiectio.

Dilatio.

perdidisse, quod nescis an merearis accipere: tunc deinde Deus scrutator renum & cordis, & occultorum contemplator & cognitor videt te, & laudat, & comprobat, & qui perspicit apud te paratam fuisse virtutem, reddet pro virtute mercedem Nunquid Cain cum Deo munus offerret iam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptum Deus prouidus antè damnauit: ut illic cogitatio mala, & perniciosa conceptio Deo prouidente prospecta est: ita & in Dei seruis, apud quos confessio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur.

Qualis  
quis inue-  
nitur, talis  
iudicatur.

Aliud est martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Qualem te inuenit Deus cum vocat, talem pariter & iudicat, cum ipse testetur & dicat: Et scient omnes Ecclesia. quod ego sum scrutator renum & cordis, nec enim sanguinem vestrum querit Deus, sed fidem: nam nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei, ac iustitiæ meritis honorati, inter patriarchas primi esse meruerunt. Ad quorū  
conuiuium

conviniu[m] congregatur quisquis fidelis et iustus & laudabilis inuenitur.

Meminisse debemus voluntatem nos non nostram, sed Dei facere debere, secundum quod nos Deus quotidie iussit orare. Quam praposterum est, quamq[ue] peruersum, ut cum Dei voluntatem fieri postulemus, quando euocat nos & accersit de hoc Mundo Deus, non statim voluntatis eius imperio pareamus. Hoc nitimur & reluctamur, & peruicacium more seruorum ad conspectum Domini cum tristitia & merore perducimur, exeuntes istinc necessitatis uinculo, nō obsequio voluntatis, & volumus ab eo premijs cœlestibus honorari, ad quem uenimus inuiti? Quid ergo rogamus & petimus, ut adueniat regnum cœlorum, si captiuitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poscimus, ut acceleret dies regni, si maiora desideria & vota potiora sunt seruire istic diabolo, quàm regnare cum CHRISTO.

Deniq[ue], ut manifestius diuina prouidentie iudicia clarescerent, quòd Dominus præsciens futurorum suis consulat ad veram  
C salutem:

Visio.

salutem: cum quidam de collegis & con-  
sacerdotibus nostris iam infirmitate defes-  
sus, & de appropinquante morte sollicitus  
commeatum sibi precaretur, astitit depre-  
canti & iam penè morienti iuuenis honore  
& maiestate uenerabilis, statu excelsus, &  
clarus aspectu, & quem assistentem sibi uix  
posset humanus aspectus oculis carnalibus  
intueri, nisi quod talem uidere iam pote-  
rat de seculo recessurus. Atq; ille non sine  
quadam animi & uocis indignatione infre-  
muit, & dixit: Pati timetis, exire non  
uultis, quid faciam uobis? Increpantis  
vox est & monentis, qui de persecutione  
sollicitis, de accensione securis, non consentit  
ad presens desiderium, sed contulit in fu-  
turum.

Audiuit frater noster & collega  
moriturus, quod ceteris diceret. Nam qui  
moriturus audiuit, ad hoc audiuit, ut di-  
ceret: audiuit non sibi ille, sed nobis. Nam  
quid disceret iam recessurus? didicit imò  
nobis remanentibus, ut dum sacerdotem,  
qui commeatum petebat, increpitem esse  
comperimus, quid cunctis expediat agnos-  
ceremus.

Nobis

Nobis quoq; ipsis minimis & externis  
quoties reuelatum est, quàm frequenter  
atq; manifestè de Dei dignatione præcep-  
tum est, ut contestarer assiduè & publicè  
predicarem, fratres nostros non esse lügen-  
dos accensione Dominica de seculo libera-  
tos, cum sciam non eos amitti, sed præ-  
mitti, recedentes præcedere, ut proficif-  
centes & nauigantes desiderari eos debere,  
non plangi: nec accipiendas esse hic atra-  
vestes, quando illi ibi indumenta alba iam  
sumpserint: occasionem dandam non esse  
gentilibus, ut nos meritò ac iurè reprehen-  
dant, quod quos uiuere apud Deum dici-  
mus: ut extinctos & perditos lugeamus, &  
fidem, quam sermone & uoce depromimus,  
cordis & pectoris testimonio reprobemus.  
Spei nostra ac fidei præuaticatores sumus, si-  
mulata, ficta, fucata uidentur esse, que di-  
cimus. Nihil prodest uerbis proferre uirtu-  
tem, & factis destruere ueritatem.

Gaudendū  
morte po-  
tius, quàm  
flendum.

Improbatur deniq; Apostolus Paulus & ob-  
iurgat et culpatur, si qui contristentur in excessu  
suorum: Nolumus, inquit, ignorare uos  
C 2 fratres



fratres de dormientibus, ut non contristemi-  
ni sicut & ceteri, qui spem non habent. Si  
enim credimus quia IESVS mortuus est,  
& resurrexit: sic & Deus eos, qui dormie-  
runt in CHRISTO, adducet cum illo.  
Eos contristari dicit in excessu suorum, qui  
spem non habent.

Qui autem spe vivimus, & in Deum  
credimus, & CHRISTVM passum esse pro  
nobis, & resurrexisse confidimus in CHRIS-  
TO manentes, & per ipsum, atq; in ipso re-  
surgentes, quid aut ipsi recedere istinc de  
seculo nolumus, aut nostros recedentes quasi  
perditos plangimus, ac dolemus? ipso CHRIS-  
TO Domino ac Deo nostro monente & di-  
cente: Ego sum resurrectio, qui credit in me,  
licet moriatur, vivet: & omnis, qui vivit  
& credit in me, non morietur in aeternum.

IOAN. II.

Si in CHRISTVM credimus, fidem  
verbis & promissis eius habeamus, & non  
moriemur in aeternum, ad CHRISTVM,  
cum quo & victuri & regnaturi semper su-  
mus, lata securitate veniamus.

Quod interim morimur, ad immorta-  
litatem morte transgredimur: nec potest  
vita

vita aeterna succedere, nisi hinc contigerit  
exire: non est exitus, sed transitus, & tem-  
porali itinere decurso ad aeterna transgres-  
sus.

Quis non ad meliora festinet? Quis non  
mutari & reformari ad CHRISTI speci-  
em, & ad caelestis gratiae dignitatem venire  
citius exoptet? Paulo Apostolo predicante:  
Nostra autem conuersatio, inquit, in caelis est,  
vnde & Dominum expectamus IESVM  
CHRISTVM, qui transformabit corpus  
humilitatis nostrae, configuratum corpori cla-  
ritatis suae.

Philip. 3.

Tales nos futuros et CHRISTVS Do-  
minus pollicetur, quando, ut cum illo simus,  
& cum illo in aeternis sedibus viuamus, atq;  
in regnis caelestibus gaudeamus, patrem pre-  
catur pro nobis: Pater, quos mihi dedisti,  
uolo ut ubi ego fuero, & ipsi sint mecum, &  
videant claritatem quam mihi dedisti, prius  
quam Mundus fieret. Venturus ad CHRI-  
STI sedem, ad regnorum caelestium clarita-  
tem, lugere non debet nec plangere, sed po-  
tius secundum pollicitationem Domini, se-

Ioan. 17.

*cundum fidem veritatis, in profectioe sua  
& translatione gaudere.*

Enoch  
Deo placuit.  
Genes. 5.

*Sic deniq; inuenimus & Enoch translatum esse, qui Deo placuit. Sic in Genesi testatur & loquitur scriptura diuina. Et placuit Enoch Deo, & non est inuentus postmodum, quia Deus illum transtulit. Hoc fuit placuisse in conspectu Dei, de hac contagione seculi meruisse transferri.*

Sapient. 4.

*Sed & per Salomonem docet Spiritus sanctus, qui Deo placeant maturius hinc eximi, & citius liberari, ne dum in isto Mundo diutius immorantur, Mundi contractibus polluantur. Raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum eius. placita enim erat Deo anima eius: propter hoc properauit educere eum de media iniquitate.*

*Sic & in Psalmis ad Dominum properat spirituali fide Deo sua anima deuota, sicut scriptum est: Quam dilectissime habitationes tue Deus virtutum, desiderat & properat anima mea ad atria Dei.*

*Eius est in mundo diu velle manere, quem Mundus oblectat, quem seculum blandiens*

blandiens atq; decipiens, illecebris terrena  
voluptatis inuitat. Porro cum Mundus  
oderit Christianum, quid amas eum qui te  
odit, & non magis sequeris CHRISTUM,  
qui te redemit, & diligit? Iohannes in E-  
pistola sua clamat & loquitur, & ne carna-  
lia desideria sectantes Mundum diligamus,  
hortatur: Nolite, inquit, diligere Mun-  
dum, neq; ea, que in Mundo sunt. Si quis  
dilexerit Mundum, non est charitas patris  
in illo: quia omne quod in Mundo est, con-  
cupiscentia carnis est, & concupiscentia  
oculorum, & ambitio seculi, que non est à  
patre, sed ex concupiscentia Mundi, &  
Mundus transibit & concupiscentia eius:  
qui autem fecerit voluntatem DEI, ma-  
net in aeternum, sicut & Deus manet in  
aeternum.

I. IOH. 2.

Porro, fratres dilectissimi, mente inte-  
gra, fide firma, uirtute robusta, parati ad  
omnem voluntatem DEI sumus: pauore  
mortis excluso immortalitatem, que sequi-  
tur, cogitemus.

C 4 Hoc

Hoc nos ostendamus esse quod credimus, ut neq̄ charorum lugeamus excessum, & cū accersionis propria dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.

Quod cum semper fuerit faciendum Dei seruis, nunc fieri multò magis debet corruente iam Mundo, & malorum infestanti-um turbinibus obsesso, ut qui cernimus cœpisse iam graua, & scimus imminere grauiora, lucrum maximum computemus, si istinc velocius recedamus.

Si in habitaculo tuo parietes vetustate mutarent, tecta desuper tremarent, domus iam fatigata, iam lassa adificijs senectute labentibus, ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate migrares? Si te nauigante turbida & procellosa tempestas fluctibus vi venti excitatis, prenuntiaret futura naufragia, nonne portum velociter peteres? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui iam non senectute rerum, sed si-ue testatur, & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis, quod exitu maturiore sub-tractus

Mundus  
nubet.

tractus, ruinis & naufragijs, & plagis imminentibus exuatis.

Considerandum est, fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renuntiasse nos Mundo, & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere. Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exutos paradiso restituit, & regno caelesti.

Quis non peregrè constitutus properet in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum cupidus optaret, ut velociter charos liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes nostros Patriarchas habere iam cœpimus: quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus?

Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum: frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate securam, & adhuc de nostra incolumitate sollicitam. Ad horum con-

C 5      Spectum

spectum, & complexum venire, quanta & illis & nobis in communi letitia est: qualis illic caelestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum aeternitate viuendi? quàm summa & perpetua felicitas? illic Apostolorum gloriosus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & passionis victoriam coronatus: triumphantes illic Virgines, quae concupiscentiam carnis & corporis continentiae robore subegerunt, remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum iustitiae opera fecerunt, qui Dominica praecpta seruantes ad caelestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt.

Ad hos, fratres dilectissimi, auida cupiditate properemus, ut cum his citò esse possimus, ut citò ad CHRISTVM venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram DEVS videat, hoc propositum mentis & fidei DOMINVS CHRISTVS aspiciat, daturus eis glorie

*gloria sue ampliora premia, quorum circa  
se fuerint desideria maioras*

A M E N.

D. CÆCILII CYPRIANI  
SERMONIS DE MORTALI-  
TATE FINIS.

Q V I D E S T  
V I T A Æ T E R N A .

VITA ÆTERNA ET BEATA  
est Conspectus & fruitio summi boni, uidelicet  
ipsius Dei, uberrimi fontis & thesauri omnium  
bonorum: in qua omnes piij homines, qui in uera  
fide & inuocatione filij Dei ex hac uita discesse-  
runt, resuscitati ex morte, & penitus ab omni pec-  
cato & miseria liberati, & Dei Patris, filij & Spi-  
ritus sancti, Et castorum Angelorum ac totius Ec-  
clesiæ coelestis familiaritate fruentes, coram  
DEVM ipsum uidebunt, & essentiam ac uo-  
luntatem DEI, quam in hac uita per speculum  
in



in Aenigmate, seu uerbum inuolutum obscure agnouerunt, illustri & clara luce sine ulla caliginis cernent, & consilia creationis ac Redemptionis, et causas consiliorum & mirabilium operum diuinorum, & totum naturae rerum opificium penitus cognoscunt: & noua ac diuina luce, sapientia, iusticia & uita ab ipso Deo, qui cum ipsis habitabit & erit omnia in omnibus, complebuntur: & expectes omnium calamitatum, erumnarum, morborum, peccati, mortis, omnium laborum & dolorum, liberari ab omni molesticia, sollicitudine, metu, pauore, lacrimis, & curis tristissimis leti uiuent, & perpetuo ac ineffabili gaudio, Deum patrem unicum filio Redemptore nostro IESV Christo, & spiritu sancto in omni aeternitate celebrabunt.

*Quod autē p̄ in uita aeterna se mutuo agniture sint, & ipsum filiū Dei, & sanctos patres, Adam, Nohe, Dauid, Abraham & Paulum, &c. & suos coniuges, preceptores, cognatos, amicos et alios in Domino mortuos, suis oculis conspiciant, & letis animis ac gratulationibus complexuri sint, sequentia testimonia & Argumenta ostendunt.*

Vt enim Moyses & Helias in monte cum CHRISTO transfigurato colloquentes, à Petro agnoscuntur, ac ut ipse Christus resuscitatus ab Aposto

Apostolis & alijs clarissime conspicitur: ita non  
dubium est, omnes sanctos in caelis, & ipsum Chri-  
stum, & omnia Ecclesiae membra capiti conformia,  
conspicuros esse.

Complectitur Abrahamus Lazarum, & simul  
cernit impium Epulonem in flammis gehennae tor-  
queri.

Vicissim impij quoq; in extrema die, & ipsam  
Iudicem Christum & Apostolos ac sanctos assessores  
ipsius, uidebunt cum timore horribili, admirantes  
& prae angustia anime gementes, Sapientiae s.  
Quare multò magis pij se mutuò agnoscent, sicut  
& Christus Matth. 8. ostendit, Venient multi ab  
oriente & occidente, & cum Abraham, Isaac &  
Iacob, accumbent in regno caelorum. Cumq; in  
hac uita, eos, cum quibus familiariter uiuimus, ag-  
noscamus, & oculis nostris, alijsq; sensibus, qui sint,  
percipere possimus, multò magis in illa clari-  
ore & aeterna luce, & perspicacioribus oculis  
cognoscemus eos, cum quibus perpetuò uiuemus.  
Certè qui Deum ipsum, & filium ipsius Dominum  
nostrum IESVM CHRISTVM, et spirituales  
essentias sanctorum Angelorum, coram, facie ad fa-  
ciem uident, hi multò facilius homines pios &  
alios agnoscent. Accedemus autem ad ciuitatem  
Dei uiuentis coelestem Ierosolymam, ad innumera-  
bilem Angelorum coetum, & Ecclesiam electorum,

Et Deum iudicem omnium & Spiritus iustorum  
perfectorum.

Et quia docti fulgebunt sicut splendor cœli, &  
qui erudierunt multos ad iusticiam, sicut stellæ in  
omni æternitate, certè eos agnoscere & à cæteris bea-  
tis discerni necesse est. Vt enim stella à stella differt  
claritate, sic etiam præmiorum et gloriæ beatorum  
gradus erunt. Nulla autem esse gloria potest sine  
aliorum agnitione & celebratione.

Nota sunt & Christi uerba Iohan. 17. Pater  
uolo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut uideant  
gloriam meam: pater mundus te non cognouit. Ego  
autem te cognoui, & hi cognouerunt. Non igitur  
dubitum est, Sanctos, qui cum Christo futuri  
sunt, & ipsum Christum & se mutuò, etiamsi in  
hac mortali uita non fuerint inter se noti, uisuros  
& agituros esse. Sicut Adam ante lapsum, Con-  
iugem suam Euam, nunquam à se antea uisam; ag-  
nouit: quia illustratus Spiritu sancto & perfecta  
agnitione Dei, ut omnium rerum à Deo condita-  
rum, quibus nomina attribuit, naturas & proprie-  
tates, Sic etiam Euam ex sua carne & ossibus factam  
esse intellexit. Ad hanc imaginem Dei, cum nos in  
æterna uita per CHRISTVM certò renouandi si-  
mus: sine ulla dubitatione, non modò nostras coniu-  
ges, liberos, amicos, antea nobis notos & caros,  
uicrum etiam nunquam à nobis uisos, Prophetas, A-  
postolos

postolos, & alia Ecclesia lumina agnoscemus, Et  
de Deo ac operibus Dei, & miranda Ecclesie re-  
demptione ac gubernatione, cum eis iucundissime  
colloquemur, & coniunctis mentibus ac vo-  
cibus Deum in omni aeternitate  
celebrabimus.

A M E N.

## ROSTOCHII

*In Officina Iacobi Transylvani.*

*Anno*

---

M. D. LXV.

postulat et alia Ecclesie in suis negotiis  
de Deo ac operibus Dei et miranda Ecclesie  
restitutione et gubernatione cum et in  
restitutione et gubernatione de no-  
bis et ceteris in omni et singulis  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris

ROSTOCKI

in officio Jacobi Traubmanni  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris

M. D. LXXV.

restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris  
restitutione et gubernatione et ceteris





Fr Keppien,  
Buchbinder  
in  
**ROSTOCK**  
bey der Marien-Kirche.





postolos, & alia Ec  
de Deo ac operibus  
demptione ac gubern  
colloquemur, &  
cibus Deu

gnoscemus, Et  
la Ecclesie re  
is iucundissime  
tibus ac no  
uitate

RO  
In Officina

I  
uam.

M.

UB  
Rostock

